Quelle: http://manuscripta.at/?ID=376
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

illa sanctificabitur. Locutusque est dominus ad moy-
sen dicens. Hec est oblatio aaron et fi-
liorum eius. quam offerre debent domino in
die unctionis sue. decimam partem
ephi offerent simile in sacrificio sempi-
terno. medium eius mane et medium eius
uespere. que in sartagine oleo conspersa
frigetur. offeret autem eam calidam in
odorem suauissimum domino sacerdos qui
patri iure successerit. et tota oblatio crema-
bitur in altari. Omne enim sacrificium
sacerdotum igne consumetur. nec quisquam
comedet ex eo. Locutus est autem dominus ad
moysen dicens. Loquere aaron et filiis
eius. Ista est lex hostie pro peccato. In loco ubi
offertur holocaustum. immolabitur coram
domino. sanctum sanctorum est. Sacerdos qui offert eam
comedet in loco sancto in atrio tabernaculi.
Quicquid tetigerit carnes eius sanctificabitur. Si
de sanguine illius uestis fuerit aspersa.
lauabitur in loco sancto. Uas autem fictile
in quo cocta est confringetur. Quod si uas
eneum fuerit defricabitur et lauabitur aqua.
Omnis masculus de genere sacerdotali
uescetur de carnibus eius. quia sanctum sanctorum
est. Hostia enim que ceditur pro peccato.
cuius sanguis infertur in tabernaculum
testimonii ad expiandum in sanctuario.
non comedetur. sed comburetur igni. Hec
quoque est lex hostie pro delicto. sancta sanctorum est.
Idcirco ubi immolabitur holocaustum. mac-
tabitur et uictima pro delicto. Sanguis
eius per gyrum altaris fundetur. offerent
ex ea caudam et adipem qui operit ui-
talia. duos renunculos et pinguedi-
nem que est iuxta ilia. Reticulumque ie-
coris cum renunculis. et adolebit ea
sacerdos super altare. incensum domini est
pro delicto. Omnis masculus de sacerdo-
tali genere uescetur in loco sancto his car-
nibus. quia sanctum sanctorum est. Sicut pro peccato
offertur hostia. ita et pro delicto. utrius-
que hostie lex una erit. Ad sacerdotem qui
eam obtulit pertinebit. Sacerdos qui
offert holocausti uictimam. habebit
pellem eius. et omne sacrificium simi-
le quod coquitur in clybano. et quicquid in crati-
cula uel in sartagine preparatur. eius
erit sacerdotis a quo offertur. siue o-
leo conspersa. siue arida fuerint. cunctis fi-
liis aaron equa mensura per singulos
Hec est lex VII. diuidetur
hostie pacificorum que offertur
domino. Si pro gratiarum actione fuerit
oblatio. offerent panes absque fermento
conspersos oleo. et lagana azima uncta
oleo. coctamque similam. et collyridas
olei ammixtione conspersas. panes quoque
fermentatos. cum hostia gratiarum que im-
molatur pro pacificis. ex quibus unus
pro primitiis offeretur domino. et erit sa-
cerdotis qui hostie sanguinem fundet.
cuius carnes eadem comedentur di-
e. nec remanebit ex eis quicquam usque
mane. Si uoto uel sponte quispiam
obtulerit hostiam. eadem similiter
edetur die. Sed et si quid in crastinum
remanserit uesci licitum est. quicquid
autem tertius inuenerit dies. ignis absu-
met. Si quis de carnibus uictime pa-
cificorum die tertio comederit. irrita fiet
eius oblatio. nec proderit offerenti. quin
potius quecumque anima tali se edu-
lio contaminauerit. preuaricationis
rea erit. Caro que aliquid tetigerit
inmundum. non comedetur. sed com-
buretur igni. Qui fuerit inmundus.
uescetur ex ea. Anima polluta que
ederit de carnibus hostie pacificorum que
oblata est domino. peribit de populis suis. Et
que tetigerit inmunditiam hominis
uel iumenti. siue omnis rei que pol-
luere potest. et comederit de huiuscemodi
carnibus. interibit de populis suis. Locu-
tusque est dominus ad moysen dicens. Lo-
quere filiis israel. Adipem bouis et ouis.
et capre non comedetis. Adipem ca-
daueris morticini. et eius anima-
lis quod a bestia captum est. habebitis
in usus uarios. Si quis adipem qui
offerri debet in incensum domini comederit.
peribit de populo suo. Sanguinem quoque